

D. B. V.
EXERCITIUM ACADEMICUM,
DE

ORTU PETRIFICATORUM,

QUOD,

*Consensu Ampliss. Senatus Philosophici In Illustri,
Academia Auraica,*

PRÆSIDE,
CELEBERRIMO VIRO,

PETRO KALM

Oeconom. PROFESS. Ordin.

&

Reg. Acad. Scient. Svec.

SOCIO.

Publicæ disquisitioni modeste committit

STIPENDIARIUS REGIUS

JEREMIAS WALLENIUS,

In Auditorio Superiori

Die XIII. Febr. Anni MDCCLIV.

H. A. M. S.

ABOÆ, Impressit Direct. & Typogr. Reg. Magn. Duc.
Finland. JACOB MERCKELL.

SÆ RÆ M:TIS
MAGNÆ FIDEI VIRO,
Generosissimo atque Nobilissimo,
DN. J E R E M I A E
W A L L E N ,
Judici Provinciali æquissimo,
Patruo propensissimo.

Cui potius quam Tibi, quicquid a me muneris & officii, in prompti obsequii, sincerae pietatis ac venerationis indubiam significationem, proficisci queat, offerrem, mortalium jam invenio neminem. Solum arctum istud, quo me Tibi conjunculum letor, sanguinis vinculum singularem, penes Te, obligationem mibi imponit. Accedit quod, insignem Tui estimationem pariter ac amorem, ab ipsa natura animo alte impressam, infixum meo, ipsem, multiplici merito ac beneficio, prono quasi pectore in Te redundantem feceris. Quoties amabili Tuo mibi frui licuit consortio, toties ore fronteque suavem, facetum, moribus quoque honestissimis & exemplo illustri ubique prælucentem Te nobis exhibuisti. Benignitatis vero Tuæ cum nulla penes me locum habeat remuneratio, præter piam perpetuamque memoriam, presentem qualenkunque, eam publi-

VIRO maxime Reverendo ac Celeberrimo,
**DN. CAROLO FRID.
MENNANDER,**
Sæ Theologiæ DOCT. & PROFESSORI Reg. & Ord.
simulque Reg. Acad. Scient. Svec. MEMBRO
Maxime inclyto,
h. t. Acad. RECTORI MAGNIFICO.

*V*arie nec leves in promptu sunt rationes, quibus
permotus paucas basce, ingenii pretio ac nitore
destitutas pagellas, Nomini Tuo, magna eruditionis glo-
ria splendenti, adscribere ausus sim. Quemadmodum
b. Parens meus, dum viveret, in Te de amico con-
junctissimo sibi gratulari potuit, sic ego Mæcenatem, gra-
tiosæ in me propensionis, Te jam veneror optimum.
Quid beneficia Tua domum Paternam spectantia præ-
dicem? Id verbo dixisse sufficiat, quod nostris promo-
vendis commodis, data occasione, nunquam defueris.
Ad me præcipue quod attinet, non solum illa mibi con-
tigit felicitas, ut, per aliquot jam annos, solidæ &
exquisitæ eruditionis nectar, litterarum cultoribus se-
dulo a Te propinatum, summa cum voluptate bause-
rim; Verum favoris quoque Tui incomparabilis plu-
rima expertus sim documenta. Quoties venerabili Tuo
consor-

publice erigendi ac celebrandi, occasionem gestiens ar-
ripui. Accipe igitur, humillimus oro quæsoque, ope-
lam banc, pro pignore & interprete certissimo gra-
tissimi erga Te animi mei & venerabundi. Quod
ut cunque in se vile donum, offerentis si respicis men-
tem, acceptissimum Tibi fore spero. Ne desistas pa-
trium Te gerere optimum meque singulari complecti
favore. Meum erit ardentissima, pro perenni felici-
tate Tua, fundere suspiria.

Ad cineres permanens

PATRUI PROPESSISSIMI

humillimus cūtor,
JER. WALLENIUS.

confortio frui mibi licuit, sermones, gestus vultumque ad raram benignitatem compositos animadverti.
Consiliis quoque monitisque saluberrimis memet juvare, erigere, refocillare haud deditnatus es, nec a Te alienum duxisti. Hinc summa Tui veneratio totum jamdiu cepit animum. Hac mente, in splendida favoris Tui ara, exignam Tibi etiannum offero hostiam.
Scio equidem in omni eruditionis genere usque adeo versatum evecumque Virum exile hoc haud decere domum, sed juxta non vana spe erigor sublimis Tuæ indolis memor, Te, cuius est ne vilia quidem contemnere officia ex sincero pioque profecta affectu, innocuos & honestos utcunque imbecilles conatus, rigida perstringendo censura, non repressurunt nec sufflaminaturum, sed benigne excipiendo secundaturum, iis calcar additurum. Cuius spei compos factus novum natus est, idque insigne favoris pignus, quod dignis nunquam celebrare valebit præconiis,

Dicitus ERICO WALLENIUS

PSYCHOLOGIA LIBERATORIS PEDOLOGIÆ

Celeberrimi NOMINIS TUI

NOMINUM AESTORUM

*bumillimus cultor,
JER. WALLENIUS.*

Admodum Reverendo atque Amplissimo VIRO,

Dn. NICOLAO TOLPO,

Ecclesiarum quæ Deo in Cumå & Harjavalda colliguntur *ANTISTITI* vigilantissimo, Nomarchiæ Satacundiæ inferioris *PRÆPOSITO* gravissimo.

VIRO Admodum Reverendo & Praeclarissimo,

Dn. Mag. JOHANNI GRÄU

*ANTISTITI ac Præposito Ecclesiarum Raumoënsium,
urbicæ & ruralis, vigilantissimo,*

VIRO Admodum Reverendo atque Praeclarissimo,

Dn. Mag. MARTINO GRÄU

Ecclesiarum, quæ in Töffala, Varsala, St. Jacob & Iniö Deo colliguntur, *ANTISTITI* meritissimo.

Plurimum Reverendo atque Clarissimo VIRO,

Dn. ERICO WALLENIO,

PASTORI Legionis pedestris Aboënsis dignissimo.


AVUNCULIS & PATRUO OPTIMIS.

IN monumentum honoris, pietatis & gratitudinis summae, quibus vos colere, prosequi, nec non, ob paterni plane affectus sat luculenta documenta & beneficia cumulatim præstata, jugiter redamare incumbit mihi, pagellas basce, cum omnigenæ prosperitatis sincera adprecatione, consecrat

NOMINUM VESTRORUM

cultor observantissimus,

JEREMIAS WALLENIUS.



... etiam in occultatione, velut dum
... in occultatione, dum in occultatione
A. II.
... in occultatione
§. I.



Nter amoenissima pariter ac admiranda illa, quæ singula naturæ Regna nobis exhibent, spectacula, corpora *Petrificatorum* nomine insignita, peculiari quasi jure, haud ultimum sibi vindicant locum. Singularis quæ corporibus hisce propria est fors, indoles ac constitutio inter tria Naturæ Regna suspensam quasi tenet eorum possessionem. Quatenus tamen in solo regno minerali, nec aliunde in conspectum prodeunt, unanimi Historicorum Naturalium consensu ejusdem jure annumerantur copiis. Petrificata autem sunt ejusmodi fossilia, quæ vegetabilia aut animalia quædam exactissime repræsentant. Experientia vero docet diurna varia ejusmodi corpora sinum terræ atque profundos montium recessus non minus quam alta eorum cacumina inhabitare. Peregrina hæc corpora non in certis quibusdam unius alteriusve Regionis locis, nec in unica tantum vel altera globi nostri terrauei plaga & parte suas posuere sedes, sed per universum fere adeo dilatarunt

A

orbem

5:

orbem, ut vix ulla reperiatur Regio, quæ alicubi iis hospitia non præbeat. In Finlandia nostra tamen, quantum quidem nos exploratum habemus, vix aliqua Petrificata ad hunc usque diem inventa sunt, quod notatu certe est dignum. Heic ad superficiem terræ jacent petrificata, alibi in interioribus terræ recessibus montiumque se abscondunt cavernis. Non solum in profundis lapicidinarum & metalli fodinarum penetralibus se offerunt, verum quoque planitierum viscera ingrediuntur, montiumque sæpe occupant summos apices. In simplicis terræ stratis raro occurunt, multiplici contra mineralium mixtura sapissime interspersa observantur. Præterea terra sinu suo fovet montiumque juga ostentant corpora alieni loci ac originis, omnis plane expertia mutationis. Quorum præcipue numerum concharum cochlearumque testæ absolvunt, quarum ingentia agmina plurimos, etiam editissimos, obtegunt obsidentque montes. Eadem ad petrificatorum propriè quidem non pertinent classem, quatenus tamen communi cum his subsunt forti, si transitum & migrationem, qua, a peregrinis oris ac locis sibi propriis, in dissita adeo, varia diversaque terræ loca pervenerunt, spectemus, eatus ortum petrificatorum leviter pensitaturis eorum simul ratio habenda erit. Hæ tam insolite ac inopinatae naturæ revolutiones, attentis spectatoribus quidni admirationem, cum singulari conjunctam voluptate, pariant? Quemadmodum vero oculos naturæ curiosorum animosque incredibiliter pascunt atque oblectant, sic in fata eorum ortumque inquirentibus haud contemnendas sane nectunt difficultates. Quam ardua, quanti momenti hæc sit indagatio vel exinde appareat, quod, licet per plura jam secula ingenia industriamque non parum versaverit eruditorum, nondum tamen res ad liquidum sit deducta, quin potius hodienum in ambiguo lis hæreat sub judice. Multi in investigandis ipsis Petrificatorum rudimentis, stan-

tim in devia abierunt; plerique perspectis facile principiis & fontibus, e quibus derivanda essent, de viis ac modis, quibus in terram profecta sunt, mire dissenserunt.

Nobis jam constitutum est variam hac de re sitem, si non dirimere, paucis saltim tractare sententias in hac adhibitas arena sub examen qualemque revocando. Ut juvenili conamini miti ac benigno iudicio faveat L. qua pars est observantia contendentes.

§. II.

Circa ortum Petrificatorum inter eruditos variæ versantur opiniones, quæ tamen omnes ad tres referti possunt classes. Quidam enim corpora hæc, petrificatorum nomine vulgo salutata, incolas aut Regni vegetabilis aut animalis quondam fuisse sentiunt, longa autem annorum serie lapideam vel lapidibus proximam naturam induisse.

Alii eadem, vel nihil nisi lusus naturæ esse, vel nunquam ad prædicta Regna pertinuisse, verum lapides consti-
tuere singulares suique generis statuunt; qui lapides, virtute quadam plastica extraordinaria terra propria, eodem fere modo ac crystalli, gemmæ, salia, variæ species pyritum &c. olim hodieque tales generati fuissent & generarentur, determinata figura semper gaudentes.

Sunt denique alii, qui medium quasi inter duas has opiniones viam incedere malunt, statuentes multos quidem lapides pro petrificatis sæpius venditatos tantum ludicra naturæ esse, alios incolas Regni vegetabilis aut animalis aliquando exstitisse, quamvis jam substantiæ lapideæ parti-
cipes factos; multos vero etiam & olim & hodie in gremio terræ e semine quodam peculiari procreari.

§. III.

Si mentem nostram de tribus allatis opinionibus exponeamus, prima, qua testacea & petrificata quævis olim ad Régnum Vegetable aut animale pertinuisse adstruitur, veritati nobis maxime confona videtur, nec in tot tamque inextricabiles difficultates, quibus cæteræ obnoxiae sunt, inducit. Antiquitati tantum non omni eadem fuit fententia, nec unquam aliunde nisi a mari orta testacea Petrificata veteres crediderunt. Fateremur quidem varios esse lapides figuratos, qui nihil nisi ludentis naturæ sunt miracula : Sic inter silices, in montibus cretaceis Anglicis repertos, multidantur digitos, cornua, pèdes, varia instrumenta mechanica &c. quodam modo repræsentantes ; Sed de his & similibus, utpote petrificatorum nomine minime dignis, quippe qui casu ita generati sunt, sermo hic non est. Cum vero varia corpora naturalia consistentiæ lapideæ in visceribus terræ alibique inveniantur, quæ figura, magnitudine, forma, aut certis vegetabilibus aut animalibus, in primis Testaceis, tam exakte, plerumque etiam in minimis, congruent, ut ne vel minimum differentiam observare possis, excepto quod lapideam consistentiam induerint, absurdum immo stultum plane foret, ea ad illud naturæ regnum quondam pertinuisse incolarum cuius referunt similitudinem, negare. Retulit mihi Celeb. D. Præses se in lapidibus e Latomiis Tattanelensis in Anglia effossis petrificata collegisse ostreis viventibus adeo similia, ut ignari ostreas nuper captas eadem esse crediderint. In conchis & aliis Testaceis bivalvibus petrifactis sæpe utraque testa, tam superior quam inferior, una alteri arête & accurate, eodem plane modo ac in testaceis vivis, adhærens inventa est. In Etruria Italæ concham margaritiferam petrificantam, cuius testæ etiam tum ipsa margarita adnata erat, naturæ curiosi confixerunt, referente *Rajo* in itin.

Ejus

Ejus anglico idiomate conscriptis p. 125. Glossopetrae sic dictæ maxima copia variis in regionibus inveniuntur: hæc tam exacte figuram, formam & magnitudinem dentium pisces squali, qui alias canis charcharias vocatur, referunt, ut vix ovum ovo tam simile; Hinc viso ejusmodi dente seu glossopetra, ubi quondam, pisce adhuc vivo, locum habuit, sive in fauce, sive prope rostrum, sive in maxilla superiori vel inferiori, sive in latere oris sinistro dextro, facile dicere posses: diversa enim figura competit dentibus qui fauci inserti sunt ab iis qui politi sunt ad rostrum & cæteris omnibus; idem de reliquis valet: Quod ut in dentibus ipsius pisces, ita etiam in predictis glosso petris, exactissime observatur. Plura ejusmodi exempla proferre possemus, nisi temporis habenda esset ratio. Ex hisce autem, quæ breviter adducta sunt, cuivis perspicuum esse existimamus, petrificata quondam illa ipsa, sive vegetabilia sive animalia fuisse, quorum, sub lapidum specie, adeo exactam adhuc hodie similitudinem præ se ferunt. Nec ulla ratio dari potest cur sapiens-
tissimus Creator corpora quædam in uno naturæ Regno ob-
via, ad exemplar quasi corporum naturalium reliquis duo-
bus Regnis ab illo diversissimis, proprietatum innatorumque,
efformaret, adeoque confusionem quandam inter tria naturæ
Regna naturalem introduceret. Naturam vero scimus nihil
facere frustra, perturbare aut inordinate. Quid? quod, si
veri lapides, varia testacea, eaque multa copia, semper &
ubique exactissime exprimentes, invenirentur, non etiam fossili
variis avibus, insectis, quadrupedibus, imo ipsis de-
nique hominibus simillima dentur. Qualia monstra nemo
unquam vidit. Credamusne naturam, seu quod rectius,
Deum, dentes sine maxilla, testas sine animalibus eas in-
habitantibus, ossa sine carne aut animali, hoc est, hæc o-
mnia frustra & absque certo aliquo fine produxisse? Si sce-
letum integrum ac perfectum hominis cujusdam in terræ
vilce

viseeribus deprehenderes, possesne cuidam etiam plebejo, persuadere, sceleton illud ibidem sponte ac fortuito genitum, hominem autem vita gaudentem nunquam fuisse? Certe, si in castra eorum transiverimus, qui corpora omnia Petrificatorum nomine vulgo salutata, aut nihil nisi ludibria naturae, aut lapides veros sui generis, testacea varia repräsentantes judicant, vereor ne gladium ferme victoriampque atheis ultro concederemus: Si enim figurata corpora ejusmodi, solo cæco partium confluxu tam affabre facta certisque animalibus ex asse similia natura formate posset, cur non & ipsa animalia viva ipsumque denique hominem producere valeret?

§. IV.

Ad hanc sic nonnullis rationibus ob quas prima opinio praeceteris nobis arrideat, reliquum est, ut argumentis eorum, qui contrariam sovent, paucis occurramus: Multa equidem ac varia & contra assertionem nostram & pro sua stabilienda proferunt; sequentia tamen maximi esse momenti, sibi & aliis persuasum volunt:

I. Multa dantur petrificata, eademque per totum universum, quorum animalia viva, vel etiam testæ non petrificate, in toto orbe nondum reperta sunt. Constat vero vix ullum orbis habitabilis esse locum, quo curiositas Historiorum Naturalium non pervenerit; Sic variæ species cornuum Ammonis, Nautili aliorumque, quorum maxima ubique fere terrarum in penetralibus terræ prostat copia, frustra extra fodinas quæruntur. Hinc concludunt, si petrificata testaceis similia revera animalia quondam fuissent, utique hodiernum in quibusdam regionibus aut locis offenderentur, quod tamen ad hunc usque diem nunquam & nusquam factum accepimus.

II. Ur-

II. Urgent, si viva horum petrificatorum animalia in orbe olim, sive ante diluvium universale, sive etiam alio tempore existissent, qnamvis eadem viua vel non petrifica in hoc universo amplius haud inveniantur, in Providentiam Divinam peccaremus adstruendo quasdam eorum species aut genera, quæ in primordio creata fuere, deinde in totum interiisse: Novimus autem qua speciali cura supremum & Optimun Numen unum ad minimum par ex animantibus omnibus in arcam Noæ, ad interitum eorum præcavendum, perducenda curaverit.

III. Objiciunt adversæ sententiæ patroni: experientia notum esse, in omnibus sere regionibus corpora petrificatorum nomine venditata testacejsque similia, dari; sed ad litora earum regionum conchas, coquelas, aliaque testacea corporibus supra dictis figuratis respondentia, fructuosa fæpissime investigari, utpote quæ, uti dictum, aut nunquam & nusquam inventa, aut quæ littora Regionum proprius astrum situm elegerunt. Sic Anglia petrificatorum fœcundissima est, et si littora illius regionis testacea nulla, iis quæ in lapicidinis prostant similia, exhibent. In Canada & nova Anglia Americæ septentrionalis varia, eaque in maxima copia, sic dicta petrificata, conspicuntur diversorum conchyliorum effigie prædita, in litoribus harum regionum nunquam obvia; quorum tamen multa, littora maritima Americae magis australis e. g. Floridæ, occupant. IV. Varietati dari fossilia, e. g. crystallos, gemmas, salia, diversas species pyritum, mineras varias &c., determinatam semper figuram possidentia novimus; cur non idem etiam in corporibus petrificatorum nomen fortis, inquiunt, obtinere potest? V:o Modum vix ac ne vix quidem demonstrari posse suspicuntur, quo Petrificata tam alte in penetralia & abyssum terræ, in altissimos montes atque in regiones quam longissime a mari distitas, pervenire potuerint; in primis cum dilu-

ni silvam mutato nomine monod vivit diluvium universale vix ultra decem menses cum dimidio doravisse, e sacris pateat pandectis.

Ex arduis his obstaculis & difficultatibus, quibus sententiam nostram impicare, obruere, suamque explicare fatigunt adversarii, nosmet jam paucis expedire conabimur. Ad primum itaque eorum argumentum respondemus: exinde, quod animalia certorum petrificatorum integra & viva nunquam adhuc reperta aut visa sunt, concludere non licet ejusmodi animalia in toto orbe non existere. Quis enim omnes mundi angulos perscrutatus est? Plurima orbis loca ab historico Naturali nullo, sed tantummodo a nautis, mercatoribus & plebejis peragata sunt; quid vero ab his Historiæ Nat. emolumen-
ti ac lucis exspectandum? Neminem fugit, corpora naturalia nova plane & antea non detecta quotidie adferri neque a consummatissimo naturæ mysta antea visa. Quis autem abyssos omnes maris pervestitigavit & invisit? Petrificatorum vero maxima pars oceano suam originem debet. Nonne immensa copia animalium marinorum, cornua ammonis alia-
que testacea petrifica exactissime repræsentantes, in profun-
dissimo ac vastissimo oceano, multis a quacunque terra mil-
liaribus, degere possunt? Exigua valde simulque imper-
fectissima est cognitio, quam de incolis oceani habemus.
Anglia hodie lupis caret; sed si Anglus aliquis, qui extra
patriam nunquam prorepsit, inde argumentari vellet aut
lupos e toto exulare orbe aut Angliam illis nunquam ho-
spitium præbuuisse, falleret valde & falleretur. In littora
Calabriæ, teste *Rajo*, in ejus *three Physico-Theological Dis-
courses p. 155.*, spirantibus ventis subsolano & Euronoto,
testarum pulcherrimarum catervæ e mari ejiciuntur: inte-
gra vero harum animalia, seu testas cum animalculis eas
inhabitantibus, pescatores ibidem degentes nunquam viderunt.
In eodem libro pag. 151. refert *Rajus*, se, comite *Willughby*, in
sinu, insulam *Menam* ab alia insula, Anglis *Calf of man* dicta,

se-

sejungente, inter Fucos maiores supra petras ibidem & copiosissime crescentes, duos tressve Echinos marinos magnitudine insignes collegisse, quos in littoribus Anglicis nunquam visos fuisse certus novit.

Ad II. Idem responsum, quod modo prima objectio- ni opposuimus, valet. Tot genera ac species animalium etiamnum existere, quotquot in prima creatione producta fuere, nobis persuafissimum habemus.

Ad III. Respondemus: nos haud diffiteri multas re-giones petrificata exhibere, quorum sive ipsis animalibus integris, sive testis non petrifactis, in littoribus adjacentibus nullus hodie relictus est locus, sed nihil exinde roboris contrariae sententiae accedit. Potuerunt facile ex locis & regionibus australioribus, vel e profundissima maris abyssso tempore diluvii universalis illuc, ubi hodie leguntur, perduci, de quo infra §. V. pluribus acturi sumus. In littora insularum occidentalium Scotiæ saepius, vi ventorum & fructuum maris, varia fructuum genera, tam Indiae occiden-talis quam orientalis, conjiciuntur, de quibus vide, quæ Hans Sloane actis philos. Anglicis s. *The Philosoph. Transact.* N. 222. pag. 298. seqq. inferuit. Si procellæ & undæ vehementiores fructus hosce a locis adeo dissipatis, per tot millaria, advehere valent, tanto facilius varia genera conchyliorum hodie ignotorum ex oceanis abysso & locis peregrinis, ope diluvii universalis, abripi & longe lateque protrudi potuerunt. Colles isti famosi conchyliorum non petractorum, qui ad Uddevallam Bahusæ conspicuntur, varias testaceorum species exhibent, quorum quædam etiamnum ad littora Sveciæ Occidentalia leguntur; pleraque autem littoribus Svecicis hodie plane ignota sunt ac peregrinæ, licet in maritimis Regionum Europæ Australiorum oris, magna saepè profert copia. Quædam enim species eorum littora Norvegiæ, aliæ Angliæ, aliæ denique Galliæ

B

& ad-

& adjacentium elegerunt: vide *Linnæi Is. Vestrogotb.* p. 200.
Si conchylia hæc ab oris exteris olim huc pervenire potuerunt, cur peregrinatio eadem testaceis cæteris deneganda est?

Quartum qvod nobis objiciunt argumentum sic retorquemus: Fatemur varia fossilia determinatam semper habere figuram, sed figura hæc plerumque mathematica est nullique alii corpori sponte nato communis; in petrificatis autem omnia, særissime etiam in minimis, cum certis animalibus exactissime congruunt, qvod in predictis lapidibus nunquam obtinet. Præterea totum, ejusmodi fossilia seu lapides constituens, particulis constat similibus, seu qvæ separatae figuræ toti propriæ gaudent. De cætero neminem unquam comprehensuram atque intellecturum credimus quomodo salia qvæcunque, multas adeo variæque in uno eodemque individuo, producere potuissent figuras, ab omnibus salibus, qvæ hactenus habemus comperta, diversissimas. Nemo adhuc in operationibus chemicis ejusmodi crystallisationes unquam animadvertisit. Nec salia hactenus notatam multifarias ac diversissimas, at simul maxime regulares & artificiosas, figuras curvilineas formare potuerunt. Certe ad tot diversas figuras curvilineas, qvibus varia conchylia ornata sunt, longe plura salium genera & species, qvam qvæ hactenus cognita sunt, eaque ab his omnibus diversissima, requirerentur. Multa dantur testacea petrifacta unius ejusdemque speciei, qvæ, more conchyliorum ad littora marina inventorum, duas testas seu valvulas, tam superiorem qvam inferiorem, gerunt; qvarum superior, qvanqam magnitudine æqualis, figura tamen ab inferiori diversa est, eodem prorsus modo ac in conchis & aliis testaceis bivalvibus observamus. Si omnia hæc phænomena modo crystallizationis salium formarentur, qværimus qvomodo possibile, ut testa superior qvoad figuram ab inferiori plane diversa foret, ultraqve tamen testa ex una eademque basi seu cardine ortis?

Cur

Cur salia figuram conchis ac testaceis propriam exactissime imitarentur, observarent? Cur denique hoc pacto testa superior inferiori similis non prodiret?

Ad V. quod attinet, multi dari possunt modi, viꝝ multæ, qvibus petrificatorum corpora in profundissima viscera terræ, nec non in alkissimos montes deduci potuerunt; quod in seqventibus paulo fusius exponemus.

Alii, ut §. II, innuimus, putant semina animalium, nec non vegetabilium, e mari in terram & montes vi ac ope ventorum vaporumque delata fuisse & dispersa; ex qvibus dein exorta animalia perierant, testis, ossibus similibusque eorum reliquiis remanentibus; Plantas rursus, e suis enatas seminibus, post qvascunque vicissitudines, in petrifica ta itidem degenerasse autumant. Præterqvam vero quod incredibile prorsus videatur ventos, ut cunque vehementes, tantam in exigua animalium ova aquis innatantia ac immersa exserere posse vim, ut ea, ab aquis divulsa secum abripiat; difficile, imo absurdum conceptu erit, corpuscula ista, per vastissima spatia, ventorum ope translata, in remotissimis a mari locis disseminata, in terra sicca non solum sed etiam in montibus nudis, sterilibus, durissimis exclusa, procreata ac enutrita fuisse. Nec semina vegetabilium & animalium, qvorum reliquiis profundi terræ recessus montiumque alta dorsa feracia sunt, adeo exilia & insensibilia ponere licet, ut cum vaporibus & exhalationibus per vastas æris regiones asportari possent; & si essent, qvomodo illa, in animalibus, extra ovum ac uterum, in vegetabilibus extra proprium solum, marina vero insuper extra aquas marinas, crescere, enutririri & sustentari possent? Præter cæteras, qvibus hæc hypothesis premitur, insuperabiles difficultates, insolubiliis ferme supereft qvæstio: qvibusnam viis & rationibus petrificatorum sic exorta statim in terræ montiumque penetraverint recessus? Quid

tum dicendum de arborum & plantarum partibus, fructis;
fructibus aliisque, in terræ cryptis & cavernis reperiundis
petrefactis?

§. V.

Restat jam ut breviter exponamus quibus modis Petri-
ficata haecce in viscera terræ, in altissimos montes at-
que loca longe a mari diffusa migrare potuerint. Præcipua
igitur caussa dignaque, miris adeo et per orbem diffusis
phænomenis producendis, mox se offert universale illud,
memorabile æque ac funestissimum, **Diluvium**, quod certo
certius S. nobis tradit pagina, cæteris fictis quibuscunque,
probabiliter conjectatis, imperfectis, mancis ac secundariis
caussis, præsenti in negotio, facile palnam præripiens.
Accedit asserto lux ac robur insigne, si ad ortum progressum
que diluvii paululum attendimus. Ex stupendis fane illis
circumstantiis, quas S. Scriptura, fide Historica infallibili,
de diluvii initio, progressu, duratione, nobis proponit, pro-
num est colligere varias, easque haud mediocres, telluri eo
ipso acceleratas fuisse mutationes. In primis cum *eruptio a-
quarum e fontibus abyssi* Gen. VII: 11., quicunque demum
illi sint, sive per eos vastum oceanum & copiosos aqua-
ductus subterraneos, sive, ex mente *Woodwardi* aliorumque,
aqua ingentes centrales telluri inclusas intelligi velis, non
fieri potuerit sine multiplici terræ conqvassatione et distur-
batione; necesse est, ut superior telluris crusta ab impetuo-
sis, ebullientibus ac erumpentibus aquis alibi diffracta, in
altum ejecta alibi, multis quoque in locis, pro situ ac in-
dole partium ejus, fissuras agens in profundum præcipitata
fuerit. Unde non potuit non confusio quædam Regnorum
naturæ conseqvi. Huc accedit, quod aqua diluviana, per lon-
gum satis temporis intervallum, terræ faciem occupaverit,
sub quo animalia marina in continentem aquis obrutam tur-
matim

matim sponte migrate ibidemque emori, vel aquis relabentibus remanere potuerunt, reditu eorum quomodocunque impedito. Nec obstat, quod corpora tam animalium quam vegetabilium stratis terræ indita reperiantur, dum cogitamus, cadavera animalium non minus quam vegetabilia, vehementi aquarum agitatione, huc, illuc disjecta, limo (quo sub fine diluvii, ceu molliori massa pulmentacea, tota obiecta videtur tellus) commisceri, inprimi ac immergi potuisse. Deinde etiam vel per effluvia montium, putrefactionem plantarum aliisque caussis nova terræ strata his superaddita, imo terræ motuum ruinis peregrina ista corpora involuta sepultaque quidni dicamus? Eo itaque nostra heic credit argumentatio: quod maxima pars conchyliorum in terra obviorum & petrificatorum, diluvii sint reliquæ; quæ varios illos situs stationesque, effectibus solius diluvii haud tribuendas, fecutis solitis naturæ eventibus, terræ motibus præfertim, nactæ sunt. Hinc integræ fortassis régiones, varii editiores terrarum tractus, eminentes colles atque campi vasti & aridi hodie conspicuntur, ubi ante diluvium hoc universale nil præter maria magnosque lacus fuere. Sic fortassis varii montes ac colles, hodie conchylis scatentes, aut planities aut littora marina aut fundum etiam maris quondam constituerunt; Postea vero sive in diluvio hoc universali, sive per terræ motus, vel alio etiam modo supra circumiacentem aquæ vel terræ superficiem elevati sunt.

Præcipuum, quod sententia nostræ opponi solet, argumentum a natura desumitur corporum, quæ vi gravitatis deorsum tendere non sursum attollit, vel, quod idem est, centrum terræ petere non ab eo repellit animadvertuntur; ut idcirco aquæ e locis suis inferioribus in terram trumperet non potuerint, talitem non animalium testas in loca

loca tam edita dissipataque secum rapere, cum tanta aqua in surgendo vehementia concipi vix queat. Sed ad rem vel leviter attendenti non e longinquo patet, totum illum suspendum eventum naturae longe superasse vires, nec nisi singulari Divinae Omnipotentiae, in peccata mortalium armatae, opere exstissem; quocirca ordinarias naturae leges suspensas vel migratas fuisse oportet manu Divina, donec pristinum naturae ordinem Deo restituere placuit. Quid igitur mirum, si immensa aquarum moles, concitatissimo quasi effervescent, exastoans motu, corpora globi nostri terraquei minora secum rapiendo, ima summis permiscuerit? Posita quippe in miraculo causa extraordinaria supernaturali, poni etiam debet effectus ejusdem generis, qui, miraculo etiam cessante, naturaliter remaneat necesse est.

Conchylia igitur haec, sive petrifacta, sive incorrupta aut in lapideam consistentiam non mutata, cum per totum terraqueum orbem sparsa inveniantur in Europa, Asia, Africa & America, nec ulla vix detur regio ubi illa non observata sunt, totidem manifesta exhibent indicia mutosque agunt testes diluvii universalis, adeo ut, si vel omnia tacerent alia, haec tamen loquerentur ac unumquemque summae antiquitatis, veracitatis, praestantiae atque sublimitatis Sacrarum pandectarum convincerent. Notatu dignissimum & jucundum est, scriptores gentiles antiquissimos, tantum non omnes, etiam Chinensium, de diluvio hoc universali vel prorsus silere, vel confuse admodum loqui, cum contra S. pagina, clarissimis ac manifestissimis verbis variisque allatis circumstantiis, totam hanc maxime memorabilem Historiam exponat.

§. VI.

Historiae antiquae pariter ac recentiores varias loquuntur

tur particulates maris inundationes, quarum cauſſæ vel ter-
ræ motus insigniores, vel æstus marini solito altiores &
concitatiores, aut vis tempeſtatum vehementiorum fuere;
hæ continuo aquarum accuſu adeo ſæpe excreverunt, ut
maria, longe lateque littora ſua transmigrando, ſupra va-
rios terraæ traectus aquas elevaverint, atque ſecum varia
conchylia & vegetabilia marina abripiendo, ejuscemodi
terram ditaverint ſpoliis. Quod vero hoc modo testacea
multa in loca procul a mari diſſita pervenire potuerint,
facis unicuique patet.

§. VII.

Limum, humum, variaque terrarum genera, partes ani-
malium ac vegetabilium, ope pluviaæ, ſolutæ nivis,
variis etiam aliis modis & adminiculis, e collibus, mon-
tibus, locisque quibusvis editioribus ad humiliora & hu-
midiora quotidie deferti novimus: Hinc altitudo collium
fensim diminuitur, hinc littora maris, lacuum, fluviorum
& amnium extolluntur atque editiora evadant; hinc aqua-
rum profunditas in Iacobus & fluminibus decreſcit, hinc
post aliquot ſecula vasti agri & campi ubi antea aquæ na-
vigabiles. Sic, quo pacto conchylia aliaque corpora ma-
rina loca illa occupaverint, facile videmus. Si præterea
recentiorum quorundam opinio de diminutione aquarum lo-
cum habeat finique ſteſtalo, etiam hoc modo conchylia
aliaque Petrificata in loca longe a mari remota pervenire
potuerunt. Sed cum hæc conjectura magnis adhuc prema-
tur difficultibus, pluresque & accuratiores de re tanti
momenti desiderentur obſervations, quid certi tantisper
heic loci statuere nolumus.

§. VIII.

Inter opiniones in præſenti naturæ campo adhibitas, quæ
accura-

accuratius perpendi merentur, haud omittendus videtur Itali A. *Lazari Mori* conatus in statu telluris ejusque mutationibus describendis. Occasione nim. defumta ab insula Anno 1707. in archipelago exorta & circumstantiis tum observatis (quas veterum historicorum testimoniis de ortu certarum regionum, in primis insularum, nec non observationibus circa incendia montium ignivomorum & strata terræ institutis collustrare nititur) non dubitat scriptor laudatus afferere: omnes terræ regiones hactenus notas, quæ conchyliis scatent, diversis temporibus, vi ignis subterranei, ex fundo maris, variis animalium generibus obiecto, per terræ motus adscendisse. Concludit præterea motus hœc terræ, qui semper exhalationes montium ignivomorum præcedere obseruantur, eosdem effectus circa omnes vel saltem plerosque montes, qui ignis subterranei ope extiterunt, præsticisse; ita ut ignis simul erumpens (quod etiam in insula ista nuper oborta factum perhibetur) exhalationes materialium varii generis copiosas circumquaque sparserit, quibus, non solum superficies montis & animalia, quæ hic ascens secum portabat, sed fundus etiam maris circumiacens obiecta fuissent. Hinc porro infert, exhalationibus iteratis, diversas rursus erupisse materias, unde diversa quoque terræ strata enata essent; quæ quidem, quamdiu ipsam superficiem maris nondum attigerunt, novis semper conchyliis pro indole fundi inhabitata sunt, donec vel accumulatis adjacentium montium effluviis, in campum supramare conspicuum excrevissent, vel nova eruptione subterranea in altum sublata fuissent, adeo ut novi montes cumulique emerserint. Quo facto, præsentiam conchyliorum in diversis unius ejusdemque regionis stratis, ex sua mente illustrat. Imo quum, post ejusmodi terræ ortum & inhabitationem, novæ rursus ignis subterranei ejectiones insequi potuerint, ostendit quoque sic arborum partes, plantas

cas resqae sappellestiles, pluribus locis in terræ stratis repercas, in visceribus terræ, per repetitas eruptiones obteatæ ac adauitæ, reconditas esse. Quos postmodum per intervalla labores continuatos indeque pendentes terræ vicissitudines contendit, donec defecta materiæ, ad ignem sovendum & concitandum necessariæ, ab explosionibus ac tumultibus istiusmodi terræ tractus montesque penitus cessassent. Quod vero montes antea tantum non omnes memoratis vacaverint ejectionibus, ex situ eorum ad regiones circumjacentes, cavernis, quæ exhalationibus olim inservierant & in plerisque adhuc conspicuntur, atque phænomenis circa Vesuvium ac Ætnam hodie observatis, colligit. Hoc modo caustam quoque declarat cur loca, ut putat, terræ compulta, urbes, silvæ, imo integræ regiones inundatione marina obrutæ fuerint atque sepultæ. Montibus quippe, insulis aliisque terræ tractibus exortis & fundo maris horum effluviis sensim crescente, necessum erat aquas inde intrusæ mescentes alibi in continentem refugia quæsivisse, decliviores terræ partes occupando, quo sic æqualitatem superficie, quam naturaliter fluida seellantur, obtinerent.

Varia circa novum Systema hoc monenda sunt. Prius tamen non difficultum putamus rationibus ab Auctore adductis haud contemnendum, eo quidem nomine, inesse robur, quod adhibita explicatio ipsi phænomenis mire consentiat, pulchre respondeat & accommodata sit. Accedit, quod idea, quam de mutationibus terræ & conchyliis, in diversis ejus stratis exortis, inculcat, eatenus mere imaginaria haberi nequeat, quatenus nostræ ætatis, utut curtae ac angustæ, indubia nititur experientia. Hinc nulla nobis fat prægnans succurrit ratio, ea, quæ ab illo ingeniose excogitata, diligenter excussa, aliquatenus etiam demonstrata sunt, in totum rejiciendi. Sed ne justo plus huic indulgentes sententiæ nostri obliviscamur instituti remoramve ipsi injiciamus,

observamus primo: quod, licet testacea & petrifica^{ta} di-
versorum generum in stratis subterraneis lapidis obvia per
terræ motus atque ope montium ignivomorum illuc inter-
dum perducta fuisse non negemus, omnes tamen terræ mu-
tationes, & modos, quibus conchylia in terræ montiumque
quascunque regiones perevenient, ex terræ motibus hosque
secutis vomitibus unice derivare velle arduum nimis, ne
dicam absonum plane ac frustraneum, videatur. Nec ulla
sufficiens in promptu est ratio, phænomenis hisce naturæ uni-
cam tantum tribuendi caussam; præsertim cum infrequens
non sit, ut effectus idem tam in rebus naturalibus quam ar-
tificialibus varie produci queat. Hinc necessum non est
supponere ea, quæ semel iterumque ad effectum aliquem
præstandum concurrisse deprehenduntur, semper, ubi similis
effectus occurrit, adfuisse. Quin potius unius ejusdem ef-
fectus, seu phænomeni, plures sæpe detectæ sunt caussæ. Sic
v. gr. plurimas propagamus arbores, frutices & plantas,
frusta radicum, surculos & ramos terræ demandando, cum
tamen ordinarie procreatio omnis vegetabilium semine per-
magatur. Deinde urgemus tot, tam crebrorum & ingentium
terræ motuum ac eversionum, quæ conchyliis & petrificatis
quibusvis per totum orbem, variis adeo in locis, proseren-
dis pares fuissent, in monumentis historicis vestigia deside-
rari; Unde migrationes ejectionesque marinas ab *Ant. L.*
More pro lubitu nimis exaggeratas ac multiplicatas vide-
mus. Quid? quod in borealis plagæ regionibus raræ ad-
modum, exiguae & debiliores terræ concussions & tremo-
res, nunquam vero insignes aliquæ explosiones eversiones-
que subterraneæ animadversæ sint; neque tamen in illis glo-
bi terrauei partibus conchylia aliqua exulant petrificata.
Præterea nec ignotum est, corpora hæc inveniri in locis mul-
ta millaria a mari distantibus, ad quæ usque ejectamenta
marina pertingere potuisse nullatenus credibile est. Quod
tursus

rursus mare omnia ista loca olim obsederit adeoque hæc ipsius fundum constituerint (excepto n. tempore diluvii universalis) nemo nisi gratia & absone suspicabitur. Ut racciam quod animalia & vegetabilia plane exotica, quorum reliquæ in fossilibus saepius reperiuntur, secundum ejus hypothesin propria olim ac domestica in iisdem degissent regionibus, quod tamen tam experientia quam Historia omni aperte adversatur.

§. IX.

Praeter ea, quæ jam a nobis allata sunt, momenta, variis etiam aliis modis, in quibusdam regionibus, Testacea & Petrificata diversorum generum in loca a mari distata pervenire potuerunt. Quibusdam in orbis locis, ubi certis nationibus in cibum variae concharum & cochlearum species cedunt, ope humana in interiora Regionum deferri potuerit. Sic in America Septentrionali compluribus locis, ubi olim oppida & villa indigenarum fuerunt, cumuli variorum testaceorum saepe conspicuntur, licet plus centum milliaribus a mari distent. Certis etiam concharum speciebus Americani pecuniarum vice utuntur, quas ad littora marina collectas magna copia domum ad montanas sylvestresque regiones secum asportant. Simias, cercopithecos atque Papiones ad Caput bonæ spei quibusvis conchis, cochleis ac testaceis colligendis secumque in montes transvehendis quotidie operam date legimus. Per canales aquarum subterraneos, per exsiccationem lacuum natura vel arte factam, per flumina novum sibi cursum aperiens (ut inumeros fere alios modos racciam) conchylia & petrifica varia terræ visceribus indi potuisse facile quisque perspicit.

§. X.

Coronidis loco, ne caput fere rei intactum relinquamus, ipsum petrificationis negotium tribus verbis expedimus. Communi & vulgari etiam experientia notius est, quam ut quemquam fugere queat, corpora animalium libero exposita

exposita aeti fermentatione ac putredine corrupti & resolvi, adeo ut aet ad cadavera quacunque animalia mensuram ad instar se habeat. Eodem jure aqua corporum tam animalium quam vegetabilium principium quoddam destruens salutatur. Unde neutro horum elementorum petrificationem peragi posse per se patet. Neque terra secca & arida par & idonea est censienda quae hoc desingatur officio, quippe quae vapore, immotice atque principio activo, penitus caret. Contra, ad conservanda corpora illa in statu suo naturali illata ac immutata ejusmodi terra, aerem nigrum & aquam ab iis excludendo, apprime conductit. Quin itaque in petrifactione veri nominis procuranda ac perficienda terra humida non minus quam materia mineralis, circumvagis instructa atque stipata particulis, utramque faciat paginam, nullum superesse videtur dubium. Quacumque autem lapides sunt corpora, ad mutationem hanc suapte natura quondammodo disposita erunt atque compatta. Neque enim succulenta nimis corpora, mollia ac fluida, nec secca penitus, dura solidaque mirabile obnoxia sunt sorti; nisi quatenus illa materia terrestri densa, durabilis, constanti, aut metallica, ad arcendam & impediendam putredinem apta, circundata atque munita fuerint, huc rursus materia quacunque Regni Lapidei extrinsecus adhaerente, eorumve superficiem scabritie & irregularitatibus semet insinuante, externam faciem, tanquam larva obducta, immitatam & absconditam gerant. Ut vero corpora quaque animalium & vegetabilium transmutationem subituta lapidea in extima non hincant superficie terrae, sed sub ea recondita jaceant, ex modo monitis disparsit. Quibus elaborandis naturae artificiis ea potissimum subterranea loca apta videntur & dicata quae aqua permaneat calcarea, ubi vapores minerales & exhalationes metallicae circumvolitant. His observatis liberius panditur via ipsam, quo petrificatio procedit, modum investigandi. Ad primi itaque generis petrifactionem, κατ' εξαγόνην, proprie ac rigore sic dictam, absolvendam duo potissimum concurrent videntur momenta. Primo nam, particulæ substantiaz fluxæ, inconstantis ac volatilis corpora tam animalia quam vegetabilia ingredientis, evaporatione & exhalatione sensim abeunt, dissipantur, aut a materia spongiosa & calcarea absorbentur, quibus rursus materia mineralis pedentem succedit; cuius n. exhalationes poros & loculamenta corporum, discessu propriæ domesticæ materiaz vacua patulaque relicta penetrant, occupant, reficiunt adeoque suam his faciem atque naturam communicant. Quomodo corporum in terra peregrinorum fiat incrustatio lapidea, ipsorumque lapidum figuratio, tam per se quam ex supra dictis haud obscurum videtur, coque libentius ea secco iam paxterimus pede. Quid denique de illis dicendum lapidibus, qui corpora aliena contumque insignia vestigia sibimet intime insusa quasi exhibent? Nisi quod

Sub ipso generationis actu, partibus illorum conuentibus, cœuntibus posteaque indutatis hæc implicita, intercepta, conclusa internam lapidem intraverint substantiam, massisque adhuc mollibus suas impresserint figuras. Cæterum quis abstrusa adeo naturæ facta certo timetur aut cogitatione plene allequi & exacte imitari sustineat?

Hæc suæ pauca levioraque cogitata, quæ, circa præsens nobile argumentum, temporis & facultatum pressi angustia, in chartam conjicere posuimus. Nec mutum si in ordua ac dubia re imbecille hascerit ingenium. Quicquid autem solidi & exasciati in hoc desideratur tentamine ut perfectiora, matura & acuta ingenia, quorum est secretiora rerum rimari adyta, benigne suppleant, spem habemus. Interim, quæ breviter minusque subtitter sunt disputata, scopo ac instituto nostro sufficient.

FRATRI SUO CARISSIMO.

Naturæ humanæ corruptæ tam misera est conditio, ut etiam illarum virium, facultatum & propensionum quæ in se optimæ sunt & ad perfectionem nostram maxime faciunt, nulla jam actu ipso detur, quæ plane pura & innoxia sit, & cui non aliqua adhærent vitia. Hæc nisi ab illis sollicitè distingvantur, a recta via facile aberratur & sub specie boni ac honesti multæ, quæ finibus Divinis directè sunt contraria, non licita modo sed & gloriofa prædicantur. Hinc tot vitia virtutum nomine superbiunt, & actiones ex impuris fontibus profuentes, saepe ut heroicæ, summis laudibus celebrantur. Sic miseri mortales sibi & aliis perniciose blandiuntur. Mente humana dignissimus est inditus ipsi amor veritatis. Eorum vero, qui literarum studiis se tradunt, quot non sunt, qui ostentationis præcipue caussa id faciunt, vanam eruditionis gloriam se cantantur aliisque modis a recto tramite deflectunt? Hinc multi fastu literario tument, & ingenio exculto voluntatem pravam ac mores perversos, nexus certe parum congruo, conjungunt. Ab horum genio *Te Frater Carissime*, novi esse alienissimum, quippe cui id in primis curæ semper fuit, ut, Divinis sub auspiciis, in literas, quæ *Tibi* in deliciis sunt, incumberes. Quando comperii *Te* jam in procinætu esse ad specimen hoc publico exhibendum, non po-

tui, utpote arctiori adhuc quam solo sanguinis vinculo *Tibi* con-
junctus, quin publicè *Tibi* gratularer, verbis equidem paucis-
simis, affectu autem tenerrimo, cui locorum, quo distamus, in-
tervallum nihil detraxit sed plura addidit motiva. Gratulor *Ti-
bi* egregia animi dona & profectus felices in scientiis, quas non
leviter tractare, verum ad solidiorem cognitionem adspirare fo-
les. Gratulor *Tibi* præsentem Dissertationem fidem hujus rei ta-
cturam. *Tuus* denique omnibus & in eorum numero mihi quoque
gratulor, quos proximè attingunt quæ *Tibi* vel læta vel adver-
sa eveniunt. Quæ de cetero a me dici possent hoc uno comple-
ctar voto, velit propitium Numen, cui *Te ipsum*, fata *Tua* &
reliqua omnia committis, labores *Tuorum* efficaci sua gratia ac be-
nedictione promovere, & in Suam Gloriam *Iunumque* commodum
dirigere! Ita, Deo Duce & pietate comite, quam sociam *Tibi*
adjunxisti, stadium in quo decurris feliciter absolves. Sic ex
toto animo voveo

Tibi addidissimus,

MART. JOH. WALLENIUS.

TIL HERR AUCTOREN, MADRIGAL.

HWad ha dock utaf alt
De Lärde i *Naturens* Rike lämnat,
Som de ei rönt och pröfwat til des's halt?
Man ser hur dierft de wåga,
At fästa skärpter syn på *Aetna* låga,
Och dra *Vulcanum* up i dagen från des's städ:
Ei får *Neptun* på wåta diupet mer
I badet ostördt gå:
Och *Pluto* misslynt ser
Sin afgrund och des's skrymslor öpne stå:
Sig plågar *Momus* med.
Men wijsrets Möörne å som slikt med glädie röna
De ska och, min *Cousin*, Er Lärda idknad löna.

JER. WALLENS.